

VI. Sed propterea tam magnifica stipendia non acceptanda forent, quia pietas non est quaestus, 1. Tim. 6. D. Bald.

18. Num quis bonam conscientiam Canonatum emere possit?

Resp. I. Hoc est contra propositum fundatorum, qui beneficia sua non vendiderunt, sed manu liberali erogarunt. II. Est contra beneficii naturam, quod non emitur. III. Est contra legitimam vocationem ad officia Ecclesiastica. D. Balduin.

IN LOCO

DE PERSONA CHRISTI.

THEOREMATA.

I. DE Divina Christi natura egimus jam ante in loco de Deo, nunc ejusdem humanam contemplabimur, cujus discursus partes futurae sunt sequentes: 1. Humanæ naturæ veritas. 2. Incarnationis & conceptionis sublimitas. 3. Naturarum unio & communio. 4. Communicatio priorum. 5. Officii triplicitas. 6. Status dualitas.

2. Veritatem humanæ naturæ demonstrant primo voces ipsi in sacris assignatae, tam abstractivæ, quam concretivæ.

3. Inter abstractivas est (1.) Vocabulum *carnis* Job. 1, 14. Ebr. 2, 14. 1. Job. 4, 2. (2.) Vocabulum *seminis*, quomodo dicitur semen mulieris, Gen. 3, 15. semen Abraham, Isaac, Jacob, Gen. 12, 3. c. 22, 17. c. 28, 14. Semen Davidis 2. Samuel. 7, v. 12.

4. Inter concretas est (1.) Homo 1. Tim. 2, 5. (2.) Filius hominis, Matth. 9, 20. Marc. 2, 10. Luc. 1, v. 42. (3.) Filius Davidis, Luc. 18, 39, c. 20, 48. (4.) Filius Mariæ, Matth. 13, 55. (5.) Primogenitus, Matth. 1, v. 25. Roman 8, v. 29. Coloss 1, 15. Apoc. 1, 5.

5. His accedunt & aliae appellationes, quod vocetur fructus ventris Mariæ, Luc 1. Virga de radice Iesse, Esai. 11. Vir à femina circumdatus, Jer. 31. Fructus lumborum Davidis, 2. Sam. 7.

6. *secundò* veritatem naturæ humanæ probant (1.) partes hominis essentielles: assumpsit verum corpus, ut pueri, Eb. 2. Habuit vera corporis membra, ut sunt, sanguis, oculi, lingua, brachia, &c. Veram animam rationalem, Matth. 26, 28. c. 27, 58.

7. Voces, quæ expriment incarnationem, sunt partim ἕγγελος, uti appellatur descensus, Es. 64, 1. Job. 6, 33. Manifestatio, 1. Tim. 3, 16. Communicatio carnis & sanguinis, Heb. 2, 14, partim ἀγγελος, ul

UL